



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Oblatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

*Vide Communicatio privilegiorum,
Testamentum, Votum.*

Ille dicitur Oblatus in omni Re-
ligione, qui se, suaque offert do-
no perpetuo; sed non profitetur
Regulam; nec habitum suscipit; &
talis non est Religiosus, etsi fece-
rit Abbati votum obedientiæ, ca-
stitatis, & paupertatis; quia non
facit solenniter secundum Regu-
lam aliquam Monachalem, nec in-
corporatur Religioni. *tom. 3. qu. 21.
art. 1.*

Licet Oblati offerantur seu præ-
sententur Religioni per illam sui
donationem, possunt tamen ad aliam
Religionem, etiam invito Superio-
re, transire; quia non intenderunt
se aliter obligare. *art. 1.*

Tales Oblati, cum sint persona
privilegiata, ut alij Ecclesiastici,
gaudent, quoad absolutiones & in-
dulgencias privilegiis Fratrum Or-
dinis cui donantur, sicut & Pinzo-
chera seu Mantelata. *art. 3.*

Oblati deferentes habitum Re-
gularem aut Clericalem, si scilicet

OFFIC. ORDIN. 318

se Ecclesie seculari obtulerint, honeste viuentes sub obedientia Superioris, & diuinis obsequiis insistentes, etiam dum cum vxoribus habitant, gaudent priuilegio fori adinstar Acolythorum. *art. 4.*

OFFICIUM ORDINIS.

Officium in Ordine, est administratio sine praeuinentia, vt Sacrista.

Prapositura, est munus praecedendi.

Personatus, est praeuinentia sine iurisdictione, vt Diffinitoriatus.

Dignitas, est administratio cum iurisdictione, vt Guardianatus. *tom. 1. q. 22. art. 9.*

Officiis Vicarij Conuentus sub Guardianato, Magistri Nouitiorum, & Confessarij Monialium, annexa est tantum iurisdictione delegata. *q. 13. art. 20. Vide Vicarius.*

Regularis priuari potest sua Praelatione per sententiam Iudicis propter aliquod delictum, quod licet non sit expressum in iure, est tamen adeo graue in Religione; vt arbitrio grauium Religiosorum tali sit poena plectendum. *tom. 2. q. 26. art. 2.*